DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PLANTIS NOXIIS

INDIGINISQUE,

IN

ORDINE NATURALI UMBELLIFERARUM.

4

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PLANTIS NOXIIS INDIGINISQUE,

IN

ORDINE NATURALI UMBELLIFERARUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS COCHRANE,

Scotus,

COLL. REG. CHIRURG. CIVITAT. EDIN. LICENTIAT.

"Physicians ought not to condemn poisons, but to use them,
" as Surgeons their knives, cautiously." LIN. Diary.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Excudebat Jacobus Neill.

MDCCCXIX.

NECNON

VIRO SPECTATISSIMO,

ROBERTO KERR, M. D.

APUD *PORTOBELLO*,

MEDICINAM FELICITER EXERCENTI,

HAUD MINUS

REI MEDICÆ SCIENTIA, INGENIOQUE ACERRIMO,

QUAM

MORUM SUAVITATE, ET VIRTUTIBUS

INSIGNI;

HANC DISPUTATIONEM

AMIMO BENEFICIORUM MEMORI,

CONSECRAT

GULIELMUS COCHRANE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PLANTIS NOXIIS

INDIGINISQUE.

In summa varietate vegetabilium, quæ hunc orbem terrarum ornant, et alimentum animalibus innumeris, eundem colentibus suppeditant, species quibus dotes sunt maxime dissimiles, repeciuntur; nam herbæ non magis quod ad formam externam, quam vires physicas, differunt. Quamvis Opifici Summo rerum, ut vegetabilia, cibum

jucundum, et nutrimentum, animalibus præberent placuit: nihilominus nonnullæ sunt species quæ in ventriculum sumptæ, vel etiam ad summam cutem admotæ, effectus dirissimos edunt. Sed etiam maxime lethales harum, haud secus ac omnis alia pars molis ingentis, in rebus naturæ plurimis utilibus inserviunt. A medico solerti exhibitæ pro remediis, summis, et salutiferis, in morbis sanandis, inveniuntur: et quamvis pluribus animantibus sunt exitiosæ, nonnullis tamen sine effectibus infaustis devorantur.

Horum exemplum est Cicuta Virosa, fortasse nocentissima plantarum quæ in ANGLIA sponte nascuntur, quamvis feliciter admodum rara est: sed quæ bovibus eadem ob inopiam pabuli vesci coactis mortifera est; tamen oves et equi hanc impune, et capri avide carpunt,

"——— Videre licet pinguescere sæpe cicuta
"Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum *."

---

* LUCRETIUS.

In hac dissertatione, consilium est perpauca, de herbis venenatis, ordini naturali, umbelliferarum pertinentibus; et in Britannia nascentibus, dicere: atque nonnulla exempla in quibus nocuerunt proferre. Tamen dolendum est de multis ex historiis traditis non bene constare: hoc, modo inaccurato quo plantæ descriptæ fuerunt, ante ordinem et definitiones magis accuratas a Linnæo præclaro in scientiam herbarum introductas, tribuendum est. Magnopere quoque dolendum est, quod in plerisque his exemplis signa cadaveribus sectis haud memorantur. Orfila * in serie ingeniosa experimentorum in animalibus inferioribus instituta, plurimum lucis huic rei contulit, sed etiam his, sectiones cadaverum longe præstant.

Res Medici pariter ac Philosophi magnopere refert, nam sine effectibus cognitis in corpore humano inductis; modo quibus agunt, non pror-

---

* Toxicologie Générale.

sus intelligi: nec ratio medendi stabiliri, possunt.

De nonnullis plantis, nunc singulatim loqui pergimus; et perspicuitatis causa, nonnulla ex synonymis præ singulis herbis memoravimus.

DE CONIO MACULATO.

Conium maculatum seminibus striatis. Lin. *Sp. Pl.* 349.
Cicuta major. Bauh. *Pinax*, 160.
Cicuta. Gerard, 1061.
Cicuta major. Moris. *Hist. Pl.* 290.
Cicuta vulgaris. *Phyt. Brit.* 27.
Cicuta major vulgaris maculata [fœtens. Stoerk *de Cicuta*.

CONIUM MACULATUM,

" Radix fusiformis, sæpe ramosa, albida, car-
" nosa. Caulis tri-vel quadri-pedalis, erectus, te-

" res, cavus, sulcatus, glaber, nitidus purpureo " maculatus, superne præcipue ramosissimus, fo- " liosus. Folia incisa, nitida, glabra, deflexo-pa- " tentia. Umbellæ et umbellulæ multi-radia- " tæ. Involucrum plerumque pollyphyllum, bre- " ve deflexum. Involucella tri-vel tetraphylla, " secunda. Petala cordata, inflexa, subæqualia, " alba. Fructus ovatus, sulcatus, glaber *."

Hoc mense Julii florescit, et in Britannia nostra in agris pinguibus et humidis commune est. Odor est virosus et injucundus; sed succus recens nihil sensus peculiaris organis gustui dicatis impertit.

De hac herba plurima incongrua tradita sunt: nonnullis auctoribus idem locum tenere inter venena acerrima affirmantibus; aliis contra de effectibus ejus nocivis dubitantibus. Linnæus in sententiam posteriorem iniens, nomen antiquam a

* Smithii Flora Britannica.

Theophrasto et Dioscoride impositum, retinuit; et illud cicutæ, ad cicutam aquaticam Gesneri transtulit. Inter plerosque hodie convenit, venenum Atheniense cicutam *, qua Socrates periit, non herbam fuisse cui nomen conii maculati a nobis impositum est. Ex signis, mortem hujus philosophi, prægredientibus, nimirum, oculis fixis, hebetudine et torpore crurum, postea summo frigore, quod paulatim, partes magis vitales corripuit, venenum, vel ex succo cicutæ virosæ, vel œnanthes, cum quibusdam anodynis conjuncto, constitisse verisimile est †.

Apud Massilienses, venenum publice, servatum fuisse, inter principia cujus fuit cicuta; dosis cujus alicui, se ab idoneas causas interimere volente, jussu magistratuum concessa est, antiquitus dictum fuit. Hæc consuetudo egregia,

---

* "Cicuta quoque venenum est, publica Athenien-"sium pœna invisa."—Plin.

† Mead's Works.

Valerio Maximo narrante, ex Græcia, imprimis ex insula Coo, introducta fuit: ubi testis fuit hujus veneni mulieri nobili porrecti; cui postquam annos nonaginta feliciter vixerat, hoc modo, ne vivendi diutius res adversas experiretur; obire permissum fuit *.

Hæc fere incredibilia, opinionibus peculiaribus et moribus veterum, nihilominus prorsus conveniunt; quidem plurime ex crudelitatibus a barbaris Americanis nuper exercitis, hos mores singulares Græcorum magnopere referunt.

Theophrastus quoque memoriæ tradit, quemdam medicum Thrasyam compositionem invenisse, quæ parce sumpta mortem sine dolore efficit; eandemque ex succis cicutæ et papaveris confectam fuisse.

Propter cavum interius et juncturis caulis,

---

* Valer. Max. lib. ii.

cicutæ, poetæ nomine ejus, pro calamo, ex quo tibiæ instructæ fuerunt, sæpe utuntur,

"Est mihi disparibus septem compacta cicutas fistula *."

Cardanus † de homine loquutus, qui, edendo panem, in quo cicuta admista fuit, periit: et Brasavola hanc, non solum hominibus, sed anseribus, aliisque, mortiferum certiores reddit. In operibus Matthioli, Scaligeri, Kircheri, aliorumque, argumenta effectuum ejus lethalium, quoque prolata sunt. Sed de exemplo sequente, utpote in Anglia observato, solum bene constat. Bello civili, anno 1745, quædam copiæ Bataviæ, in monasterio de Waltham, in *Essex*, collocatæ fuerunt. Die sexto Maii, duo ex militibus, quantum herbarum cum suilla coctarum sufficeret, sibi, alterisque duobus pro prandio in agris collegerunt. Milites nihil suspicati, jusculum primum cum pane, et postea herbis, cum suilla, sumpserunt. Haud multo post vertigine gravi, omnes correpti fuerunt, et cito comatosi fiebant.

---

* Virg. Ecl. ii.

† Phil Trans. No. 473.

Duo, convulsionibus affecti; et circiter tres horas postea, mortui sunt. Dr BARROWBY, medicus, qui præsto fuit, statim iis adfuit; et ut alteri duo pene exanimes, plurimum olei sumerent, præcepit, ope cujus, fere omnia devorata, evomuerunt; et postea se melius habebant.

Die postera, Dr WATSON monasterio de Waltham adfuit; et unum militum eousque valuisse; ut de gravitate capitis tantum questus est: et alterum modo militari exercere, dicit.

Præfectus Batavus, Doctorem WATSON ad tabernam, qua fuerunt duo alteri milites, a quibus herbæ devoratæ, conspectæ et cognitæ fuerunt comitatus est. Ille quoque doctorem in agros secutus est, ut plantas ibi, florentes, demonstravet: milites cicutariam vulgarem, primum, et postea Myrrhidem sylvestrem, collegerunt doctori; tunc aliquid cicutæ (conii maculati) tradiderunt, et idem olfacientes, hanc esse herbam,

quæ commilitonibus suis mortifera, fuerat, dixerunt *.

" *Agasson* parle d'un homme qui avait pris
" de la grande ciguë, et chez lequel toutes les
" parties supérieures du corps étaient en convul-
" sion, tandis que les membres inférieurs étaient
" paralysés. On a quelquefois remarqué chez
" d'autres individus un délire furieux †."

Ex his exemplis conium maculatum effectus lethales procul dubio induxisse, quamvis vires ejus non adeo esse noxias, ut nonnunquam prolatum fuit: et pariter ac aliæ herbæ mortiferæ, quibusdam animalibus, cibo esse jucundo, patet.

Ray ventriculum turdi plenum seminibus conii maculati, tempore, quo segetes copiose fuerunt; et quas pro cicuta neglexerat, memorat: " adeo delectatur cicuta ‡"

---

* Phil. Trans. No. 471.

† Toxicologie Générale, tom. ii. p. 307.

‡ Hist. Plant. tom. i.

Conium maculatum in medicinam a Doctore Stoerk introductum fuit; sed famam nuper ei tributam, fere amisit. Consilio dolorem levandi, in schirrho, et cancro, a medicis; et pro cataplasmate grato, in ulceribus irritabilibus, a chirurgis interdum usurpatum est. Facultatem generandi promovere dictum est: et Stoerk historiam sequentem profert: "Vir sexaginta-sex "annorum paralyticus, cicutam jam in sextum "mensem assumsit: et quidem tanta copia ut "jam per novem septimanas quotidie drachmam "unam cum dimidia deglutiat; inter alios bonos "effectus, quos inde habet mihi sponte narravit; "naturam jam per duodecim annos integre dor"mivisse evanuisse; nunc autem ex usu cicutæ, "eam evigilare, erigi et eodem modo agere, at"que dum fuit vir triginta annorum," quoque fœminarum duarum mentionem facit "quæ diris"simis symptomatibus afficiebantur semper cir"ca tempus menstruum, et utebantur jam per "plures annos marito nunquam potuerant conci"pere. Sumpta cicuta, non tantum ab his malis "integre liberabantur, sed et fiebant longe ala"criores, et ambæ impregnatæ sunt."

Cicutam virosam et conium maculatum inter venena narcotico-acrida Orfila posuit *. Post assumptionem venenorum hujus generis, indicationes igitur videntur esse, vomitum promovere; oleum et acidum aceticum multo dilutum exhibere, et inflammationem si supervenit minuere.

DE CICUTA VIROSA.

Cicuta umbellis oppositifoliis, petiolatis, marginatis, obtusis. Lin. *Sp. Pl.*

Cicuta aquatica. Gesner. *Hort.*

---

* "On a donné le nom de poisons *narcotico-âcres* à "ceux qui sont doués d'une saveur âcre et nauséabonde, "et qui agissent à-la-fois comme narcotiques et rubé- "fians. Nous ferons voir plus tard combien la déno- "mination de *narcotico-âcre* convient peu à la majeure "partie des substances vénéneuses de cette classe; car, "1° leurs effets narcotiques sont presque toujours le ré- "sultat d'une vive excitation qu'ils ont déterminée "d'abord; 2° quelques-uns d'entre eux ne produisent "aucune rubéfaction sur les tissus sur lesquels ils sont "appliqués." *Toxicol. Gen.* p. 253.

Sium majus angustifolium. PARK.
Phellandrium aquaticum. HILL, *Brit. Herb.*

CICUTA VIROSA,

"Radix tuberosa, cava, concamerata, fibris sub-
" verticillatis. Caulis tripedalis, ramosus, sulca-
" tus, foliosus, ramis erectiusculis. Folia biter-
" nata majora pinnata; foliola lanceolata, acuta,
" glabra, stipulæ lineares, petiolis adnata, parum-
" que breviores. Umbellæ oppositifoliæ erectæ
" multi-radiatæ, umbellulæ densæ, flores albi re-
" gulares, parvi, calyx quinquefidus. Petala in-
" voluta. Fructus compressus rotundus, fere di-
" dymus, costatus *."

Hæc planta noxia, præter ac aliæ jam enumeratæ, insecta varia sustentat et nutrit; chrysomela phellandria, et leptura aurata in radicibus,

---

* Flora Britannica.

et curculio paraplecticus intra caules sæpe inveniuntur.

Vere inuente WITHERING * testat hanc in aqua crescentem, boves sæpe devorant, et inde morte succumbunt; sed æstate progrediente, et odore ejus validiore facto, eandem caute fugiunt; ob hanc causam nomen vulgare accepit. Sed quamvis venenum est lethale bovibus, capri avide et impune, et equi ovesque sine periculo ea vescuntur. WEPFER in opusculo de hac planta, unciam unam hujus canem convulsionibus affecisse; et duos mortem induxisse affirmat. Anno MDCLXX duo pueri et sex puellæ radices cicutæ aquaticæ in prato invenerunt; et iisdem haud injucundis gu tui repertis, omnes aliquid sumebant. Pueri qui plurimum ejus sumpserant doloribus circa præcordia, jactura vocis omnium sensuum defectu, et convulsionibus gravibus correpti sunt. Ora tam firme clausa fuerunt, ut minime aperiri pos-

* Arrangement of British Vegetables, vol. i.

sent; sanguis ex auribus effluxit et oculi horrendum contorti fuerunt. Ambo pueri intra horam dimidiam post symptomatum accessionem, interierunt.

Sex puellæ minore quantitate sumpta, symptomatibus similibus cito laborarunt. Sed inter paroxysmos vomitu ope medicamentorum inducto mortem feliciter evaserunt. Sed una puellarum tale modo affecta ut ab ægritudine recreare desparata fuit. Per novem horas cum manibus et pedibus frigidis et extensis jacebat. Vultus aspectum cadaverosum exhibuit, et respiratio vix percipi potuit. De dolore in ventriculi regione diu querebatur; et lingua per convulsiones dentibus multum lacerata, cibumque devorare nequibat. WEPFER symptomata in primo puero tam accurate narravit; ut verbis infra usus sum *.

---

* "Jacobus Mæder, puer sex annorum, domum re-
"diit hilaris ac subridens, quasi re bene gesta: paulo
"post conquerebatur de præcordiorum dolore, et vix

Schwenke, Germanus, historiam quatuor puerorum qui hac infeliciter sumpta, convulsionibus gravissimis sublati fuerunt, tradit.

" verbum effatus, humi prostratus, urinam magno impe-
" tu ad viri altitudinem eminxit: mox terribili aspectu,
" cum omnium sensuum abolitione convulsus fuit, os
" arctissime clausit, ut nulla arte aperiri valuerit, den-
" tibus stridebat, oculos mire distorquebat, sanguis ex
" auribus promanabat; circa præcordia tumidam quod-
" dam corpus pugni virilis magnitudine patris afflicti
" manum et miserandi pueri præcordia maxime circa
" cartilaginem ensiformem, validissime feriebat: singul-
" tiebat crebro: vomiturus quandoque videbatur, nihil
" tamen ore arctissime clauso ejicere valuit: artus mire
" jactabat, et torquebat, sæpius caput retrorsum abri-
" piebatur, totumque dorsum incurvabatur in arcum:
" ut puellus subtus per spatium inter dorsum et stra-
" tum inoffense repere potuisset. Cessantibus convul-
" sionibus per momentum matris opem imploravit: mox
" pari ferocia illis sedeuntibus nulla vellicatione, nulla
" acclamatione, nullove alio ingenio excitari poterat, do-
" nec viribus deficientibus expalluit, et manu pectori
" admota expiravit. Durarunt hæc symptomata vix

DE ŒNANTHE CROCATA.

OENANTHE foliis omnibus multifidis obtusis subæqualibus. LIN. *Sp. Pl.*

Oenanthe cicutæ facie. Lobellii filipendula, cicutæ facie. GERARD.

Oenanthe, succo viroso, citutæ facie. LOBEL. J. B.

Oenanthe tertia. MATTHEOLI.

ŒNANTHE CROCATA,

" Caules erecti, ramosi subdichomati, foliosi, " teretes, sulcati. Folia bipinnata; foliolis op-

---

" ultra horam dimidiam. Post obitum imprimis abdo- " men, et facies intumuerunt absque livore, nisi pauco " circa oculos conspicuo. Ex ore cadaveris usque ad " horam sepulturæ spuma viridis largissime emanavit, " et quamvis sæpius a patre mœstissimo detersa fuisset, " mox tamen nova succedebat."

"positis, alternisque sessilibus, cuneatis, incisis, "venosis, glabris. Umbellæ terminales multi- "radiatæ hemisphæricæ. Involucra et involu- "cella polyphylla foliacea, elongata, dilatata. "Flores albi; calyx incurvus. Fructus oblongus, "stylis erectis aristatis *."

Hæc planta in orbi terrarum venenum acerrimum fit, et ut gustui haud ingrata, ita magis periculosa est. Circa plurimos fluvios, in Britannia, cresscere inventum; et mense Julii, florere.

Capris dilectissimus cibus est, et ejus succi, cochlearium, cani sine exitio datum est. Ubi recipitur vero in ventriculum humanum, horrendæ superveniunt convulsiones, os spumat, vomitus sæpe adest, sensus omnes imminuuntur; et mors semper adstat. Exhalationes quoque ex hoc veneno orientes, hominem necare dicuntur: et Lightfoot sequentem profert: "I remember to

---

* Smith, Opere jam citato.

" have heard the late Mr CHRISTOPHER D. EHRET, " that celebrated botanic painter, say, that while " he was drawing this plant, the smell or effluvia " only, rendered him so giddy that he was seve- " ral times obliged to quit the room, and walk " out in the fresh air to recover himself; but re- " collecting at last what might probably be the " cause of his repeated illness, he opened the door " and windows of the room, and the free air then " enabled him to finish his work without any " more returns of his giddiness."

Juvenes octo apud Clonmel *, Hibernia, radices œnanthes crocatæ copiose edebant, quas esse sium aquaticum existimabant: dum domum rediebant, senior subito, cecedit, convulsionibus correptus, et mortuus est. In eodem modo alii quatuor, a primo signorum aggressione, obmutescebant, et ante auroram moriuntur: alius mania correptus fuit, sed postea ad se redibat: et capilli et ungues alii decidebant, et unus omnium,

* Phil. Trans. No. 238.

domum eundo, et lac calidum hauriendo, quo diaphoresis inducebatur, incolumis fuit *.

Allan † mentionem facit, quatuor puerorum, qui radices ejusdem plantæ devorando, omnes esse in summo dolore videbantur; et postea convulsionibus corripiebantur; attamen, in paroxysmis, vomitus excitabatur, et hunc potu calido, promovendo, omnes fortunate convaluere.

---

* "M. Charles fut appelé pour soigner toute une "famille qui avait mangé des racines d'œnanthe. Des "bouffées de chaleur âcre se portant à la tête, une "ardeur mordicante à la région épigastrique, et de pe-"tites taches rosacées, de figure irrégulière, s'élargissant "successivement, tels étaient les phénomènes produits "par le poison. Ces taches, qui n'excédaient pas le "niveau de la peu, s'étaient manifestées d'abord à la "face, puis sur la poitrine et sur les bras; le père seul "avait l'abdomen tendu comme un ballon. On admi-"nistra les mucilagineux, le lait et les huileux." *Toxicol. Gen.* p. 89, 90.

† Synop. Medicin.

Scriptores Gallici tradunt ut anno MDCCLVIII, triginta et sex milites, edendo œnanthen, maxime læderentur; unus mortuus sit, cæterique emeticis ad sanitatem redirent *.

Stalpart Vander Wiel, in observationibus †, de lethale effectu radicis hujus plantæ, historiam duorum hominum memorat, qui hanc pro altera, edebant. Post radicem edendum conquerebantur de magno calore, in guttere et ventriculo, quem comitantur vertigo, nausea, et alvus soluta. Uno epistaxis; alteri convulsiones superveniebant. Ambo mortui sunt; hic duabus, ille tribus horis.

Hoc veneno sumpto regimen antiphlogisticum strictius adhibendum est, vomitus potionibus calidis promovendus est; acidum aceticum

* Journal de Médecine, t. x.

† Tom. i. pag. 182.

omniaque acria sunt evitanda, et omne signum sicut provenit minuendum est *.

Præter venena virulenta jam recensita, quædam alia in ordine naturale umbellatorum existant, et in Britannia indigina reperiuntur.

Æthusa cynapium contusum, odorem maxime virulentem, allio haud absimilem emittit, et in ventriculum humanum receptum, stupores, vomitum, et convulsiones, gignit.

" Riviere rapporte qu'un individu périt après " avoir pris une certaine quantité de cette plante. " A l'ouverture du cadavre on trouva la langue " noire, une sérosité brunâtre dans l'estomac ; le " foie était dur et d'une couleur jaune, la rate " livide ; le corps n'était point emphysémateux †."

---

* Toxicologie Générale, par M. P. Orfila, tom. ii.

† Ibid.

Hæc herba (in agris sativis frequens) apio petroselino haud absimilis est; igitur WITHERING varietatem crispatam (Anglicè *curled*) monet in hortis usurpari, causa errores evitandi.

LINNÆUS narrat equos Suedenses vescendo Phellandrio aquatico, (altera hujus ordinis specie), paralysios correptos fuisse, quam inductam esse putavit, non tantum dotibus nocivis plantæ ipsæ, quantum, quodam insectu in caulibus genito: et cui igitur nomen *curculio paraplecticus* ab eo imponitur.

FINIS.

ra. Hæc herba (in agris sativis frequens) apio petroselino haud absimilis est; agitur, Werner-inc varietatem crispatam (Anglicè *curled*) monet [illegible] sedi.

Linnæus narrat equos Suecienses vescendo Phellandrio aquatico (aliam lapsus [illegible] specie), paralysi [illegible] putavit [illegible] ipse, quantum, quoddam insectum in caulibus genitos: et cui etiam nomen [illegible] im-ponitur.

FINIS.